

a Dionysio Pariegete Nasamones atheni vocati fuere, de quorum sane religione aliunde constat. Denique, ut alia mittam, Galli, quos maxime religioni deditos Cæsar exhibuit in suis de bello Gallico Commentariis, a Cicerone *Or. pro Fontejo* sine religione dicuntur, ea fortasse de causa, quod fidem datam facile infringerent. Atque hæc satis quoad historiam.

(15. Ad errorem quod spectat, quæ sola explicatione refellitur, satis duximus argumenta per summa capita indicare, quibus confutatur, ac celebriores, qui hanc oppugnaverunt, auctores recensere. Primum itaque consensus omnium cujusq. ætatis gentium in asserendo mundum statuto tempore a supremo Numine conditum esse, ejusque providentia gubernari, invictum argumentum depromptum est ex traditione a primis hominibus ad posteros ubique locorum diffusos transmissa, quo ostenditur Deum esse supremum mundi opificem, conservatorem atque rectorem. Inter plures qui de hoc argumento scripserunt, videri poterunt opera Patris Monelæ, ac Patris Vincentii Patuzzi, celeberrimi e Dominicana familia theologorum, quorum primus adversus fatalistas et materialistas, alter vero de vitæ futuræ statu nuperrime scripsit: videri quoque poterit auctor principiorum religionis naturalis, et revelatæ, qui circa operis initium hujusmodi argumentum accurate tractat, et Joannes Albertus Fabricius in *Delectu argumentorum et Syllabo scriptorum*, qui veritatem religionis Christianæ adversus atheos, Epicureos, etc., asseruerunt. Is sane, cap. 8, argumentum a consensu generis humani erudite prosequitur, et nullas unquam esse, vel fuisse gentes atheas ostendit, ac n. 5, plures auctores recenset, qui ex professo de hoc argumento tractarunt.

(16. Argumenta reliqua ex rerum natura,

PAPA.

ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt Papæ electionem, consecrationem et coronationem.

SUMMARIUM.

1. Papa non potest sibi successorem eligere. — 2. Papa prohibetur eligere sibi successorem, non solum de jure ecclesiastico, sed etiam de jure divino et naturali. — 3. Adducitur et solvitur instantia de Christo qui sibi successorem elegit S. Petrum apostolum, ad num. 4. — 5. Adducitur et solvitur instantia de S. Petro Apostolo, qui traditur sibi elegisse successorem S. Clementem, ad num. 6. — 7. Non parva est controversia inter doctores, an Clemens fuerit secundus, vel quartus Summus Pontifex? — 8. Ostenditur veritas de assumptione S. Clementis in Pontificem. — 9. Adducitur et solvitur instantia de Bonifacio II qui dicitur elegisse sibi successorem Vigilium diaconum, ad num. 10. — 11. Hinc plures Pontifices etiam ex non primævis, licet rogati, et persuasi ad sibi successorem eligendum, id facere omnino recusarunt. — 12. Unde a papa nequit valide fieri constitutio etiam de consensu cardinalium, quod Summus Pontifex possit sibi successorem substituere. — 13. Summus ergo Pontifex assumi debet per electionem quæ post S.

motu, et finibus petita, ab omnibus fere philosophis, et theologis nostris recensentur, dum Dei existentiam et providentiam adversus atheos et epicureos demonstrant. Inter hæc vero plurimum ad pantheismum refutandum valet argumentum ex rerum contingentia desumptum, de qua fuse disputat laudatus Pater Monelia in suo opere contra materialistas, ubi luculenter demonstrat, non solum rerum individua, atque species, et aspectabilem mundum, sed etiam materiam ipsam contingentem esse, ideoque esse non potuisse, ac sola libera supremi Opificis actione creatam esse, atque conservari. Et sane ens contingens est, quod ita existit, ut possit non existere. Materia vero ita se habet. Etenim in notione materiæ idea existentia non reluctet; cum æque bene concipere possimus nullam materiam existere, ac concipiamus posse non existere materiam, de qua urbs nostra constat, vel ex qua formatus est sol, luna, etc. Nil enim prohibet quominus fingamus materiam hujusmodi non existere. Concipere ergo possumus nullam existere materiam. Ergo materia universa per notionem quam ingerit, nobis veluti ens contingens exhibetur. Si contingens est, in se sufficientem rationem existentia suæ non habet, sed in causa aliqua libera, cujus libera actione sit, et conservetur. Atque hæc causa Deus est, auctor, conservator et rector universi. Vide etiam auctores qui contra pantheistas et Spinosam ex professo scripserunt, scilicet Antonium Genuensem in sua *Metaphysica*, Franciscum Lamy Benedictinum congregationis S. Mauri, Henricum Morum, Isaacum Jaquelotum, Samuelem Clarck, aliosque bene multos, quos recenset Jo. Albertus Fabricius in opere supra citato. Vide infra verb. RELIGIO.

Petrum fuit apud Ecclesiæ Romanæ senatum ex 24 presbyteris et diaconis Romanæ Urbis, quos ipse S. Petrus tanquam senatores Romanæ Ecclesiæ in locum absentium Apostolorum instituit ad instar 24 Seniorum. — 14. Deinde vero post tempora S. Silvestri, orientibus scandalis, et scissuris inter hujusmodi Ecclesiæ senatores, reliquos clerus Romanus, ac populus ad præsentiam, et corroboracionem exhibendam adjunctus est electioni Pontificis. — 15. Processu autem temporis ad sedandas adhuc contentiones et tumultus qui in ejusmodi electione nihilominus oriebantur, imperatores suas manus huic electioni interponere cœperunt, non quidem auctoritate electiva, seu vere confirmativa, sed solum opitulativa, seu auxiliativa et executiva. — 16. Adducitur, et solvitur instantia, ad num. 18. — 19. Papa non potest alteri impertiri facultatem eligendi Summum Pontificem. — 20. Nicolaus ad sedandas seditiones, tumultus et rixas quæ in electione Summi Pontificis oriebantur, statuit, ut electio Papæ a cardinalibus episcopis perageretur, ac deinde reliqui cardinales, clerus, ac populus Romanus ad eam comprobendam accederent; salvo tamen honore et reverentia imperatoris. — 21. Sed quia adhuc quandoque violentia imperatorum in electione papæ schismata oriebantur, ab Alexan-

dro III in solum collegium cardinalium posita fuit Papæ electio, ita ut ille censeretur canonice electus, in quem dux ex tribus partibus omnium cardinalium consensus, excluso penitus ab illa cleri, et populi, et imperatoris consensu, quod et fuit confirmatum a pluribus aliis Pontificibus, et servatur adhuc in dies. — 22. Insuper, ne diuturnæ vocationis incommodis Romana Ecclesia premeretur, neve cardinales possent ambientibus studiis corumpi, plures Summi Pontifices circa electionem Papæ varia statuerunt, quorum aliqua magis notabilia hic referuntur. — 23. Primo igitur ante Papæ electionem, statim, priore defuncto, cardinales absentes sunt monendi, ac per decem dies a die mortis Pontificis computandos, expectandi. — 24. Si tamen ante dictos decem dies elapsos ex aliqua justa causa præveniendi, fiat Papæ electio a communi cardinalium præsentium, vel duorum partium eorum consensu, non expectatis cardinalibus absentibus, talis electio erit valida. — 25. Cardinales absentes non sunt solemniter vocatione vocandi, seu citandi. — 26. Cardinales præsentibus solent certiorare cardinales absentes, de obitu Pontificis per litteras particulares a secretario Sacri Collegii suscriptas. — 27. Cardinales absentes, licet desint ex publica causa, et de licentia Romani Pontificis, ad electionem successoris expectandi non sunt ultra decem dies. — 28. Cardinales præsentibus per novem dies debent celebrare exsequias defuncti Pontificis. — 29. Secundo, dum exsequia per dictos novem dies a cardinalibus celebrantur, singulis diebus Cardinales non impediunt, in basilica Vaticana conveniunt, et in ejusdem sacristia varia peragunt, quæ assignantur. — 30. Decima vero die, celebrata prius in eadem basilica missa de Spiritu sancto, cardinales in Urbe existentes, et legitime non impediti, processionaliter conclave ingrediuntur; legitime autem impediti solent sero privatim ingredi. — 31. Omnibus autem de sero exclusis, præter eos qui in conclavi cum cardinalibus sunt, varia interim peraguntur, quæ hic notantur. — 32. In conclavi sub clausura, ultra cardinales, quinam regulariter remanere soleant? ad num. 33. — 34. Circa cibum et potum intra conclave cardinalibus portandum, quid fuerit statutum? — 35. Tertio, ad hujus rigoris observantiam constituuntur exsecutores ex præcipuis magnatibus civitatis, ubi electio celebratur. — 36. Electio Summi Pontificis est celebranda ab ipsis tantummodo cardinalibus. — 37. Unde cardinales omnes, etiam nuper creati et publicati vocem habent in electione Pontificis, etiam si nondum insignia cardinalatus acceperint, neque os clausum, aut si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit. — 38. Cardinales omnes ad electionem Pontificis admittuntur, quamvis excommunicati, suspensi aut interdicti. — 39. Cardinales vero nondum ordinati ad diaconatum, in electione Pontificis vocem non habent ex constitutionibus variorum Pontificum; quibus tamen constitutionibus quoad hoc hactenus derogare solent Summi Pontifices, quando cardinales nondum diaconos creant, et ad hoc expedire jubent breve particulare. — 40. Si ante factam electionem plurimi cardinales decedant, vel recedant, et nolint electioni intervenire, electio pertinet ad solos superstitibus et electioni interessentes, quamvis duo tantum remaneant. — 41. Imo, quamvis unus solus remanserit, ad ipsum spectabit electio. — 42. Non potest tamen ille eligere seipsum. — 43. Assignatur modus quo possit talis cardinalis seipsum eligere. — 44. Si omnes cardinales morerentur ante factam electionem, ad quem spectabit electio? — 45. Sede vacante tempore concilii generalis legitime congregati, electio Pontificis spectat ad cardinales, et non ad concilium. — 46. Licet ex quibusdam canonibus antiquis videretur non posse eligi in Summum Pontificem, nisi qui esset cardinalis. — 47. Tamen nunc potest eligi etiam non cardinalis. — 48. Imo etiam

laicus potest eligi in Pontificem. — 49. Nec electionis validitati obstabit, si uxoratus in Pontificem eligatur. — 50. Si autem vir absque licentia uxoris ad Summum promoveretur Pontificatum, posset ab ipsa revocari, et ei debitum reddere teneretur. — 51. Femina Papa esse non potest. — 52. Hinc exploditur fabula de Joanna Papissa. — 53. Eligendus in Summum Pontificem congruit ut sit maturæ ætatis, unde non potest licite eligi minor triginta annis. — 54. Si tamen eligeretur in Summum Pontificem aliquis nondum in tali ætate constitutus, electio esset valida, ut de facto fuit valida reputata, et habita electio Joannis XII ætatis 18 annorum, et Benedicti IX ætatis decem annorum. — 55. Modus seu forma pro eligendi Summi Pontificis ubi habeatur? — 56. Triplici tantum forma, seu modo potest fieri Papæ electio; scilicet per scrutinium, per compromissum, et per quasi inspirationem. — 57. Triplex hic modus eligendi Summum Pontificem ubi tradatur? — 58. Electio Papæ debet celebrari in conclavi clauso, et uno ex dictis tribus modis, alia nulla est et invalida eo ipso absque ulla declaratione; et tam electus, quam eligentes, ejusque fautores, et complices incurrunt excommunicationem aliasque censuras et penas Summo Pontifici reservatas, ad num. 60. — 61. Papa statim ac est canonice electus, est verus Papa quoad omnes effectus, et plenam absolutamque habet jurisdictionem exercibilem supra totum orbem. — 62. Unde Papæ electio non indiget confirmatione, uti alia inferiores electiones. — 63. Hinc mere cæremonialia sunt, quod papa non nisi post coronacionem, Lateranensis Ecclesiæ possessionem nanciscatur, et quod ante consecrationem et coronacionem, nec pontificatus annum scribat in litteris, nec integras bullas expediat, sed tantum brevia, nec simpliciter episcopum se nominet, etc. — 64. Imo aliter sentiens incurrit excommunicationem. — 65. Et de facto, quando protrahitur coronatio, Papa expedit etiam bullas sub plumbo cum intitulatione episcopi, et cum data Pontificatus, etsi ante coronacionem. — 66. Papa, postquam suæ electioni consensum præstitit, aliud nomen sibi imponit. — 67. Assignatur ratio hujus mutationis. — 68. Quis fuerit primus qui e Romanis Pontificibus cepit nomen mutare? — 69. Non tenetur autem Papa nomen proprium mutare. — 70. Papæ consecratio seu intronizatio a quo fiat? — 71. Consecratio Papæ in episcopum, si non erat episcopus, ac benedictio, et coronatio ejusdem sunt diversa, et a quibus fiant? — 72. In die coronacionis Papæ conburitur stupa, et interim sic inelamatur: *Pater sancte, sic transit gloria mundi.* — 73. In coronacione Papæ tertia collecta canitur de sancto P. N. Francisco. — 74. Alia ad rem ad n. 751 subnect. *Add. Cas. de fab. Papiss. Joan.*

(1. Papa non potest sibi successorem eligere, et si eligeret, irrita esset electio. Sic *Glossa* in c. *Apostolica*, § *His omnibus*, verb. *Beatus* 8, q. 1, quam sequuntur omnes, teste Felino in cap. 2, sub num. 23, col. 5, vers. *Fallit quarto*, De const. Item *Glossa*, in c. *Si transitus*, verb. *Non possit*, dist. 79, et ibi etiam archidiaconus, Bellamer., Geminian., et Præpositus, Abbas in c. *Accepimus* 5, De pactis, n. 2, ubi testatur hanc esse communem conclusionem. Doctores passim in c. *Licet de vitanda*, De electione, et ibi in specie Joann. Andreas, num. 13; Butrius, num. 3 et 21; Card., n. 9; in 6, q.; Abbas, n. 2; Decius, n. 7 et 8; S. Joann. de Capistrano, *De potestate Papæ*, n. 2, inter tract. *Com.*, t. XIII, fol. 32; cardinal. Zabarella in c. *Licet*, n. 9, De elect., et in Clement. *Ne Romani*, in 5 q., n. 5, De

elect.; card. Jacobatius, *De concil.*, l. x, art. 7, in solutione undecimi argumenti, fol. 34; card. Turrecremata, in *Summa de Eccl.*, l. 1, c. 13, et lib. II, c. 51; card. Gajetan, t. I *Opuscul.*, tr. 3, *De potestate Papæ*, et *Concil.* apol. 2, c. 22; card. Alban., *De cardinalibus*, qu. 32; card. Baronius, *ad annum Christi* 11, et ad 371; August. Triumph., *De potest. Ecclesiæ*, qu. 2, art. 3, in corpore; Fagn., lib. I *Decretal.*, in cap. *Accepimus* 5, De pactis, n. 29 et seq., cum plurimis aliis ibi citatis, Barbosa, *Juris ecclesiast. univers.*, l. I, n. 40, cum aliis pluribus ibi adductis. Et plures alii citati a card. Petra, tom. IV *Comment. ad const. 5 Clementis VI*, contra Victorium, Bonacina, Suarez, Vasquez, Turrianum, Ledesmam, et alios.

(2. Papa prohibetur eligere sibi successorem, non solum de jure Ecclesiastico, ut habetur ex c. *Episcopo* 3; c. *Plerique* 5; cap. *Moyses* 6, caus. 8; quæst. 1, cum similibus, et tenent communiter doctores; sed etiam de jure divino et naturali, Fagnan., *loc. cit.*, a num. 38 usque in finem; ubi, plurimis adductis, id suo more solide probat, et omnia solvit argumenta contraria; Barbosa, *loc. cit.*, a n. 44 ad 47, ubi ex multis id clare ostendit, et sic plures alii citati a card. Petra, *loc. cit.*, a n. 7 ad 9.

(3. Nec valet objicere exemplum Christi, qui sibi successorem elegit S. Petrum Apostolum; adeoque idipsum licebit pluribus Pontificibus, qui vices Christi gerunt; c. *Ad Apostolicam* 2, § *Nos itaque*, De sentent. et re judicata, in 6, quia omnis Christi actio, nostra est instructio, c. *Significasti* 5, De election. (4. Non valet, inquam, quia Christus uti supremus Dominus potuit de re sua, id est de sua Ecclesia absolute disponere, et eam suo arbitrio fundare; non sic autem alii Pontifices, qui non domini, sed dispensatores existunt; tum quia, ut recte dicit Augustinus Triumph., *De potest. Eccl.*, q. 2, art. 2, in corpore: «Christus fuit Deus et homo, ideo in suo judicio non potuit falli neque fallere; sed quia judicium humanum est fallibile, quia purus homo potest falli et fallere, ideo conveniens fuit post Christi ascensionem, et post mortem illius qui immediate a Christo electus fuit, ut promotio ejuslibet alterius Summi Pontificis fieret per electionem; ut ex collatione, et concordia plurium talis electio careret errore, et mereretur suscipere divinam inspirationem.» Quinimo, ut notat Fagnan., l. c., n. 54, ipse quoque S. Petrus ministerialiter etiam ab apostolis electus fuit post Domini in cælum ascensum, ut patet in cap. *In novo*, dist. 21, ibi: «Cæteri vero apostoli cum eodem pari consortio honorem et potestatem acceperunt, ipsum quoque principem eorum esse voluerunt.» Et cap. *Sacrosancta* 2, dist. 22, ibi: «Petro tamen a Domino concessum est (et ipsi inter se voluerunt idipsum), ut reliquis omnibus præesset apostolis, et Cephas, id est caput, et principem teneret apostolatus, qui etiam eandem formam suis succes-

soribus, et reliquis episcopis tenendam tradiderunt.» Ad id autem, quod dicitur, quod omnis Christi actio nostra est instructio, conceditur de omni actione quam fecit ut homo, non autem quam fecit ut Deus, nam ipse ambulavit super aquas, et jejunavit absque omni cibo et potu quadraginta diebus, et ad hæc nos non astringimur, quia talia miraculose fecit ut Deus. Et sic quod Christus Petrum sibi constituerit successorem, eique contulerit potestatem ligandi et solvendi, non est trahendum ad exemplum, cum non ut homo, sed ut Deus operatus sit; c. *Ita Dominus* 7, dist. 19; cap. *Omnes* 1, dist. 22, et cap. *Solite*, § *Potuisse*, De majorit. et obed.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Christus constituit Petrum suum vicarium in terris, non successorem; ipse enim est sacerdos in æternum. Quare argumentum corrui. Deinde post Christi Domini ascensionem ab Apostolis Petrus non electus, ut ait auctor, sed recognitus fuit eorum princeps.

RESPONSIO AUCTORIS.

Advertendum erat, quod allata *ibi* a me objectio est objectio adversariorum, et non mea conclusio. Dico enim: Nec valet objicere, etc. Et prius in summano sic: *adducitur et solvitur instantia*, etc., prout ipsidem terminis adducitur, et solvitur pluribus adductis a celeberrimo Fagnano, lib. I *Decretal.*, in cap. *Accepimus* 5, De pactis, num. 18, 54 et seq. Videat ipsum *ibi* theologus, et certe recedet ab indebite facta nota, et fatebitur quod non corrui, sed subsistit argumentum. Ultraquamquod non desunt magni nominis doctores, qui id expresse tradunt; ut inter alios Barbosa, *Juris ecclesiastici* l. I, cap. 1, *De Summo Pontifice*, num. 16, ubi in summano sic expresse habet: «Petrus vicarius et successor Christi multis ostenditur,» in corpore sic: «Quod autem Christus voluerit Petrum sibi vicarium et successorem existere, ipsemet ostendit, dum dicit, etc.» *Vide ibi* ad longum. Et card. Petra, tom. IV *Commentar. in constitut. 5 Clementis VI*, in summano, num. 3, sic præcise: «Christus, qua forma divum Petrum sibi successorem elegerit.» Et in corpore num. 6, sic præcise: «Qui primam sententiam tuentur, potissime adducuntur, cum Christus Dominus sibi successorem instituerit Petrum.» Pro eodem enim quantum ad hoc, salva in reliquis debita differentia, et proportione, videtur hic accipere vicarium et successorem. Sicuti pro eodem sumit sanctissime regnans Summus Pontifex Clemens XIII in Apostolicis litteris, quibus facultatem concedit ordinariis eam poscentibus, impertiendi cum indulgentia plenaria Apostolicam benedictionem suis diocesanis vere penitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis in duabus cujuscunque anni solemnitatibus, videlicet die Paschatis et alio die festo eorum arbitrio et voluntate eligendo; *ibi*:

«Exemploque suo edocuit, quid eos quos in gubernanda catholica Ecclesia successores ac vicarios suos in terris relinquebat, in Domino facere oporteret.» Et ad id quod subjungit Theologus dicens: deinde post Christi Domini ascensionem ab apostolis Petrus non electus, ut ait auctor, sed recognitus fuit eorum princeps, jam patet responsio ex traditis a Fagnano, *loc. cit.*, num. 54, merito a me, *loc. cit.*, n. 4 secut., per ipsissima sua verba, *ibi*: quinimo ut notat Fagnan., *loc. cit.*, n. 54, ipse quoque S. Petrus ministerialiter ab apostolis electus fuit post Domini in cælum ascensum; in cap. *In novo* 2, dist. 21, *ibi*: «Cæteri vero apostoli cum eodem pari consortio honorem et potestatem acceperunt, ipsum quoque principem eorum esse voluerunt.» Nonne Fagnani, et meam conclusionem satis aperte demonstrant illa verba: «ipsum quoque principem eorum esse voluerunt, etc.» Et in c. *Sacrosancta* 2, dist. 22, *ibi*: «Petro tamen a Domino concessum est (et ipsi inter se voluerunt idipsum), ut reliquis omnibus præesset apostolis, etc.» Ponderentur illa verba: «et ipsi inter se voluerunt idipsum;» et satis patebit, per ipsa denotari saltem ministerialis electio Petri in eorum caput et principem facta a cæteris apostolis, ut tradit clariss. canonista Fagnanus, in intelligentia, et expositione sacrorum canonum nemini certe secundus.

(5. Nec valet instare ex cap. *Si Petrus* 1, caus. 8, quæst. 1, quod sanctus Petrus apostolus sibi elegit successorem sanctum Clementem (168), quod ipsemet Clemens attestatur in epistola prima ad Jacobum fratrem Domini, dicens: «Simon Petrus in ipsis diebus, quibus vitam finem sibi præsensit, apprehensa manu mea repente consurgens in auribus totius Ecclesiæ hæc protulit verba: Clementem hunc episcopum verbis ordinis, cui soli meæ prædicationis et doctrinæ cathedram trado.» Sic præcise refertur in cap. *Unde* 2, cit. caus. 8, et quæst. 1, et latius in eadem epistola, quæ habetur integra, tom. I *Concilior.*, part. 1, fol. 27, col. 1. Hoc autem sanctus Petrus non fecisset, si jure divino et naturali prohibitum fuisset. Dist. 3, in summano, § *Naturale jus*, cap. *Sunt quidam* 6, caus. 23, quæst. 1.

(6. Non valet, inquam, quia in primis illa epistola videtur falso inscripta ejusdem Clementis nomine, ut insinuat card. Baro-

(168) *Nota editorum Casinensium.* — Hæc profecto sunt verba in cit. cap. *Si Petrus*: «Si Petrus princeps apostolorum adjutores sibi adscivit Linum et Cletem, non tamen potestatem Pontificii aut ligandi et solvendi eis normam tradidit; sed successori suo sancto Clementi, qui Sedem Apostolicam post eum, et potestatem Pontificalem tradente sibi B. Petro, tenere promeruit.» Quæ verba exscripta sunt ex asserta epistola Joannis III Pontificis maximi (qui anno 560 ad Petri cathedram fuit evectus) ad episcopos per Germaniæ et Galliæ provincias constitutos.

Verum epistolam hujusmodi supposititiam esse tenent merito eruditissimi viri Baronius, Binius,

nus, *Annal. eccles.* tom. I, anno Christi 60, pag. 680, quia longe ante mortem Petri obierat Jacobus Alphæi Frater Domini, dictus justus, et minor, qui constitutus fuerat a Petro episcopus Hierosolymitanus, et ex templi vertice fuit præcipitatus, anno Domini 63, Petri vero 19, Neronis 7, ex Tabula chronographica Jacobi Gault, primo sæculo, fol. 8, et ex *Breviario chronologico* Fr. Francisc. a Coriolano, fol. 13; ex card. Baronio, d. tom. I, anno Christi 69, pag. 628 et 680, et ex Barbosa, *loc. cit.*, n. 43. Et non debet confundi iste Jacobus cum altero Jacobo filio Zebedæi, qui primus Apostolorum cæsus obiit anno Domini 44, sub Herode Agrippa. Unde cum d. epistola scripta sit post obitum S. Petri, et sic post annum Neronis decimum tertium, scribi non potuit ad Jacobum Alphæi, qui jam obierat anno 7 ejusdem Neronis, nec ad Jacobum Zebedæi, qui primus Apostolorum jam obierat anno Domini 44 sub Herode Agrippa, et sic multo prius ante mortem S. Petri. Et propterea card. Bellarmin., *De scriptoribus ecclesiast.*, in S. Clemente, dicit dictam epistolam non carere scrupulo; et multis rationibus hoc ipsum ostendit Jul. Laviorius, *Variar. lucubrat.*, tom. I, tit. 4, cap. 3, num. 51. Et de ipsa dubitant Fagnan., *loc. cit.*, n. 59; Barbosa, *loc. cit.*, num. 43, alique multi canonistæ et theologii apud card. Petram, *loc. cit.*, num. 8; Possevin., in *Appar. sac.*, in verb. *Clemens Romanus*; Mendoz., qu. 4, schol., § 11, vers. quarto.

(7. Nec parva est controversia inter doctores, an Clemens fuerit secundus vel quartus Summus Pontifex? Unde *Glossa* in cit. cap. *Si Petrus* 1, caus. 8, q. 1, verb. *Aut ligandi*, habet sequentem versum:

Disputat hic mundus, quartus, fuerit ne secundus.

(8. Sed dato etiam, quod S. Petrus eum sibi successorem nominaverit, ut communis sentiunt doctores, responderetur cum Barbosa, *loc. cit.*, num. 47, quod melius dici potest, Petrum ex omnibus presbyteris et diaconis Romanæ Urbis 24 elegisse, cum quibus omnia ardua negotia Ecclesiæ resolveret, eosque sibi coadjutores et consiliarios, et Summi Pontificis electores instituit ordinavitque; ut ex sacro hoc 24 Senatorum collegio, quos postea Sylvester I sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales nuncupavit, Pontifices eligerentur, ut colligitur ex c. *Oportebat* 3, dist. 79. In præsentia igitur horum electorum Petrus in ultimis vitæ

Possevinus, Natal. Alexander, alique. Enimvero integra epistola de chorepiscopis agit, quos ex eorum abusib. a decess. Pontificib. jampridem damnatos ib. asseritur. At si epistola hæc genuina esset, nequaquam concipi posse videtur, quo pacto iidem chorepiscopi in abusos prout, et ante sæculum sextum a Romanis Pontific. damnati, ad sæculum decimum usque, nempe per alios quingentos annos amplius in Germania et in Galliis omnia episcopalia officia contra jus fasque explicando perstitissent. Ut merito dicamus oportet, non nisi posteriori ævo epistolam, de qua sermo est, nempe longe post Joannis III tempora, fuisse exaratam

diebus consurgens Clementem in Pontificem nominavit, quod tamen ita factum creditur, si a sacro illo Romanæ Ecclesiæ senatu admittetur. Cognoscentes vero hujusmodi nominis formam graviter in futurum Ecclesiæ posse nocere, non Clementem, sed Linum elegerunt, et illum post Petrum pontificatui Romano præesse voluerunt, quamvis deinde Clemens, decedentibus Lino et Cleto, ab ipso senatu in Pontificem fuerit electus. Colliguntur hæc ex *Cæremoniæ Romano*, lib. 1, sect. 1, cap. 3. Unde apparet sanctum Petrum non sibi Clementem necessario successorem elegerit, sed tantum nominasse, ut a sacro illo Collegio juxta formam sibi traditam eligeretur; et ita intelligendus est textus in d. cap. *Si Petrus* 1, cum seq., caus. 8 quæst. 1. Hactenus Barbosa.

EJUSDEM ROM. THEOL. NOTA

Quæ ex Barbosa auctor recenset, haud facile eruditus lector probabit. Quamobrem Romani censors addendum hic voluerit, quod Antonius Sandinius in sua *Historia Apostolica* hac de re scripsit. « Irenæus, inquit ipse, memoriæ prodest, Lino episcopatum administrandæ Ecclesiæ a Petro traditum, Tertullianus Clementi datum; hoc enim modo, ait, Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrneorum Ecclesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert; sicut Romanorum, Clementem a Petro ordinatum itidem: perinde utique, et cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos Apostolici seminarii traduces habéant. » Itaque sicut Polycarpus ab Joanne inauguratus est, ut esset antistes Ecclesiæ Smyrneorum; ita Clemens a Petro ordinatus dici debet, ut esset Pontifex Romanorum: alioquin non recte Tertullianus duas illas Ecclesias inter se comparasset. Ex scriptoribus tam antiquis, quam recentibus, alii Irenæum sequuntur, alii Tertullianum. Baronius, cujus præ cæteris sententiam probant Natalis Alexander, Cotelerius, Bollandus, Tillemontius, secutus conjecturam Epiphani, utrosque ita componit. Scribit enim, S. Clementem accepisse quidem a D. Petro episcopatum, modestiæ tamen causa de suo cedentem jure collatam sibi dignitatem recusasse, donec Linus et Cletus Petri ipsius in episcopali munere administrati alius post alium, opera, crediderim, ejusdem Clementis a clero electi, Romanam Ecclesiam gubernarent. At vide eminentiss. Orsium tom. I suæ *Hist. ecclesiast.*

RESPONSIO AUCTORIS.

Quæ ex Barbosa, *loc. cit.*, ego recenseo, nedum facile, sed facillime probant eruditissimi, et magni nominis viri, ut videre est in card. Petra, num. 4 *Comment. in constit. 5 Clem. VI*, a num. 5 ad 17, ubi post multa ipse concludit: « Verumtamen probabilissimum etiam est, quod a clero Romano fuerit Linus in cathedra Petri locatus. Pro comperto enim est, quod a primordiis Ecclesiæ Summi Pontificis electio apud presbyteros et diacones urbis Romæ erat, qui a

Petro in loco absentium Apostolorum per regiones urbis constituti erant. » Fagnan., lib. 1 *Decretal.*, in cap. *Accepimus*, De pactis, n. 58 et 59. Matthæucci in opere dogmatico, controvers. 6, num. 15, et alii plures, ut eruditus liquet, sed dato etiam, quod omnino non consistant, quæ tradit Barbosa, gravis alioquin auctor, quid inde contra me: qui tantummodo ad eruditionem ea recenseo ex mente Barbosa, ut clare demonstro cit. num. 8, sic concludendo: Hactenus Barbosa.

(9. Nec valet, inquam, instare, quod Bonifacius II in Concilio Romano I Vigilium diaconum sibi successorem elegerit anno Christi 531 ut refert Anastasius bibliothecarius in Vita ipsius Bonifacii, et habetur tom. I *Concil.*, par. 1, fol. 463, col. 2, et fol. 646, col. 3, in hæc verba: « Hic, scilicet Bonifacius II, congregavit Synodum in basilica Beati Petri Apostoli, et fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret. Quo constituto, cum chirographis sacerdotum, et jurejurando ante Confessionem B. Apostoli Petri in successorem Pontificem diaconum Vigilium constituit. » Nec desunt alia exempla his similia. Nam Gregorius VII anno 1085 elegit Victorem III; Victor III anno 1086 elegit Urbanum II; Urbanus II anno 1099 elegit Paschalem II, ut videre est apud Baronium *ad annum Christi* 1083, fol. 188, et *ad annum* 1087, et apud Fagnan., *loc. cit.*, n. 22. Et ad hoc facit textus, in cap. *Si transitus* 10, dist. 70, ibi: « Si transitus Papæ inopinatus evenierit, ut de sui electione successoris non possit ante decernere, etc. » per quæ verba innuitur, posse Papam ante transitum suum de successore decernere et deliberare.

(10. Non valet, inquam, quia factum illud Bonifacii II in concilio iterum congregato, ab omnibus fuit reprobatum, ut testatur idem Anastasius bibliothecarius in dicta Vita ejusdem Bonifacii, dicens: « Eodem tempore, facta iterum synodo, hoc censuerunt sacerdotes omnes propter reverentiam Sedis Sanctæ: et quia contra canones fuerat hoc factum, et quia culpa eum respiciebat, ut successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius Papa reum se confessus est majestatis, quod diaconum Vigilium sua subscriptione chirographi ante confessionem B. Petri Apostoli constituisset, ac ipsum constitutum in præsentia omnium sacerdotum, et cleri, et senatus incendio consumpsit; » et etiam refertur tom. II *Concilior.*, par. 1, fol. 643, col. 2, lit. C. Unde merito S. Sylvester Papa in epistola ad eundem Vigilium diaconum Pseudo-Pontificem exprobravit: « Quia contra jura canonica temporibus sanctæ memoriæ Bonifacii Papæ, et ipso vivente designari conabar, nisi tibi amplissimus senatus obviasset, justa tunc Providentia, pastoralis ac pontificali auctoritate tua exsecranda jam debuissent auspicia detruncari; sed dum parvum vulnus in te est neglectum, insanabile tunc crevit apostema. » Alia vero exempla in contrarium adducta, si accurate considerentur, nullam

vim faciunt, nam illæ non fuerunt electiones, et substitutiones successorum; sed potius designationes, et commendationes personarum, quæ sibi ad tantum munus subeundum præstantiores viderentur. Pontifices enim a cardinalibus rogati indicarunt, quem dignum putarent cathedra Petri, salvis tamen cardinalium suffragiis: ideoque nullus ex designatis post obitum Pontificis designantis gessit se pro Papa, nisi post subsecutam cardinalium electionem, et ad hoc facit c. *Petisti* 17, caus. 7, q. 1, ibi. « Si eum aptum... cognoveris, tibi successorem designa, ut huc veniat ordinandus. » Ad textum autem in citat. cap. *Transitus*, respondetur cum *Glossa, ibidem*, quod aliud est de sui successoris electione cum fratribus seu cardinalibus deliberare, quod ibi permittitur, et potest fieri, et aliud est ex testamento, quasi dignitatis suæ hæredem substituere, quod penitus prohibetur, ut cap. *Episcopo* 3, c. *Episcopo* 4, c. *Plerique* 5, c. *Moyses* 6, caus. 8, quæst. 1, cum similibus. Sic respondet ad litteram Gratianus in c. *Apostolica*, § *His omnibus* 7, caus. 8, q. 1, et *Glossa* in cap. *Transitus*; et ibi archidiaconus, Bellamer., Turrecrem., et reliqui omnes, teste Fagnano, *loc. cit.*, n. 62.

(11. Hinc plures pontifices, etiam ex non primævis, licet rogati, et persuasi ad sibi successorem eligendum, id facere omnino recusarunt. Sic Cælestinus III cum gravi morbo laborans, renuntiare vellet Papatui et cardinalis Joann. de S. Paulo tituli S. Prisæ in ipsius locum subrogari, et assumi summopere cuperet, tanquam inauditum in Ecclesia Dei id minime fecit. Paulus III persuasus a cardinali Francisco Pisano Veneto, episcopo Patavino, ut sibi successorem eligeret, omnino respuit. Pius IV in consistorio cardinales alloquens, ipsisque suam senectam exponens, adjecit se utique scire quæri a jurisconsultis: « An Romanus Pontifex sibi successorem deligere queat? » Et sub Paulo IV agitatam fuisse quæstionem: « An idem Pontifex adiutorem cum futura successione adsciscere possit? » Et quamvis nonnulli id affirmant, eam tamen sententiam Pius uti falsam rejiciendam censuit, volebatque declarare Pontificem, cardinalibus etiam assentientibus, id facere non posse; major pars cardinalium decretum faciendum judicavit, sed cardinalis Gambaria dixit, declaratum olim a Pontifice in consistorio et decreto firmatum hoc a Pontifice. Sic ex aliis refert card. Petra, tom. IV *Commentar. ad constit. 5 Clementis VI*, n. 9.

(12. Unde a Papa nequit valide fieri constitutio etiam de consensu cardinalium, quod Summus Pontifex possit sibi successorem substituere. Cardinal. Zambarell., in *Clement. Ne Romani*, in 5 quæst., n. 3, De election.; card. Turrecrem., in *Summa de Eccles.*, lib. 1, cap. 13, et lib. 11, cap. 15, et in cap. *Si transitus* 10, n. 1, dist. 79; Augustin. Triump., *De potest. Eccles.*, q. 3, artic. 3, in corpor.; Martin. Lauden., *De cardinal.*, quæst. 39, inter *Tract. commun.*,

tom. IV, fol. 63; Hieronym. Manfred., *De cardinalib.*, decis. 15, tom. XIII *Tract.*, par. 11, fol. 86; cardinal. Cajetan., *Opuscul.*, tom. 1, tract. 2, *De potest. Papæ et concil. apolog.*, cap. 12; Petrus de Palud. *De potest. Eccles.*, lib. 11; Sylvester, in verb. *Excommunicatio*, 9, n. 3; Gregorius de Valentia, tom. III, disp. 10, quæst. 3 *De statu episcop.*, punct. 3, § *Quarta assertio*; card. Baron., *ad annum Christi* 11, fol. 188, et passim moderni, teste Fagnano, *loc. cit.*, n. 31, qui numeris sequentibus quinque præcipuis solidis fundamentis hanc conclusionem propugnat.

(13. Summus ergo Pontifex assumi debet per electionem; quæ primo post S. Petrum fuit apud Ecclesiæ Romanæ senatum ex 24 presbyteris et diaconis Romanæ Urbis, quos ipse S. Petrus tanquam senatores Romanæ Ecclesiæ in locum absentium Apostolorum instituit ad instar 24 seniorum, quos in *Apocalypsi* 14 Joannes super throno in conspectu Dei sedere conspexit, et ipsos Romani Pontificis consiliarios, coadjutores et electores pro tunc esse voluit, inter quos præcipui erant Linus, Cletus et Clemens, ut in cap. *Si Petrus*, caus. 8, qu. 1, qui postea singuli successive Romanam Sedem tenuerunt.

(14. Deinde vero post tempora S. Silvestri, a quo cœpit Ecclesia bonis temporalibus, ac terrena potestate perfrui, orientibus scandalis, et scissuris inter hujusmodi Ecclesiæ senatores reliquos clerus Romanus, ac populus ad præsentiam et corroboracionem exhibendam adjunctus est electioni Pontificis, ut colligi videtur ex capit. *Factus* 5, caus. 7, qu. 1. Et hoc tribus potissimum rationibus: primo ad removendas seditiones clericorum; secundo ut omnibus in eligendo esset dicendi facultas, et liceret vitia, vel virtutes eligendi proferre, et sic electioni suo consensu testimonium perhibere; cap. *Reliqui* 1, dist. 67. Tertio ne populus invitatus, et non optatum Prælatum acciperet; cap. *Nullus invitatus* 12, dist. 61, cap. *Si forte* 36, dist. 63. Hactenus Barbosa, *loc. cit.*, num. 49 et 50.

(15. Progressu autem temporis ad sedandas adhuc contentiones et tumultus, qui in hujusmodi electione nihilominus oriebantur, imperatores suas manus huic electioni interponere cœperunt, non quidem auctoritate electiva, seu vere confirmativa, sed solum opitulativa, seu auxiliativa et executiva, quatenus nempe in publicæ pacis officium electionem promovebant, et jam factam sua auctoritate ipsi favebant et defendebant, ne schisma oriretur, et si quod ortum esset, comprimebant, tumultusque sedabant; sub his enim restrictionibus eis concessum erat ut electioni intervenirent, ac electioni eorundem auctoritas inservirent, nunquam tamen quod electioni præessent, vel in ea suffragium ferrent, aut eandem factam confirmarent, vel infirmarent.

(16. Nec valet dicere, quod imperatores habuerint jus eligendi Romanos Pontifices, ut concessum fuisse Carolo Magno ab Adria-